

† R. P. Ludovicus Joos (1875-1930)

(Prov. Lugdunen.)

Operariis (*Uvrier*) in Helvetia R. P. Ludovicus Joos, vi gravis pulmonum morbi oppressus, sancte obiit die 16 Maii a. 1930. Eius vitam scriptis mandavit R. P. J. Isselé. Quem librum infra annuntiatum qui legerit, facile sibi persuadebit R. P. Ludovicum Joos sanctum plane virum fuisse.



Natus est in Alsatia, non ita procul a Colle Martis (*Colmar*), die 19 Apr. a. 1875 piis religiosisque parentibus. Nanceii primum, deinde Catalauni studiis vacavit, a quibus non ante cessavit quam machinalem scientiam teneret calleretque penitissime. Tum textilium officinae praeficitur. Denique, cum se ad maiora natum intellexisset, Congregationi SS. Redemptoris nomen dare statuit.

Religionis tirocinium in collegio Antony subiit, ubi totum se religiosae militiae rudimentis instituendum novitiorum Magistro, R. P. Herbaux, tradidit. Die 19 Martii a. 1897 vota perpetua nuncupavit estque in numerum filiorum divi Alfonsi cooptatus. Vix studentatum a limine salutaverat, cum, scientiae virtutisque iusto avidior, nimii ardoris poenam luit magna cerebri defatigatione. Tunc Operarios missus est, ut valetudini consuleret. Mox ad salutem satis reductus, philosophiae theologiaeque operam navavit simulque sacros altaris gradus ascendit. Die 29 Ian. a. 1905 Seduni in sacello curiae episcopalis presbyter factus, Operariis mansit, ut in iuvenatu rei mathematicae magister esset, quod munus usque ad obitum exercuit.

Quam sancte vixerit, verbis dici non potest. Omnibus sane floruit virtutibus, at praesertim pietate, fraterna caritate, sui abnegatione, quas non otio, sed magnis laboribus comparavit.

Ut saltem unum alterumve exemplum afferamus, in defuncto P. Joos admirabile fuit studium per 25 annos et amplius non intermissum, ut primum ipse disciplinas aliis tradendas quam perfectissime calleret, dein eas in schola methodo quoad fieri posset facillima atque ipsis sensibus externis obvia iuvenistasd oceret, demum lucubrationes discipulorum quam accuratissime perlustraret et corrigeret. Quamdiu haec scripta scholastica non recognita et non emendata iacebant, omnem quietem et recreationem fugiebat. Nec parcebat operae molestissimae discipulum in suis exercitationibus arithmeticis, algebraicis similibusve fideliter sequendi, ut recta a falsis discerneret et probe notaret, quo loco forte mendum irrepsisset. Ita consecutus est, ut non modo praeceptor discipulis apprime carus evaderet, sed etiam passim ipsum argumentum, in se aridum, sat gratum fieret, utque scholae tempus exspectatione citius evolaret. Huc accedit, quod ludimagister in se ipse vivam omnium virtutum imaginem ac viri vere sancti exemplar exhibebat. « Magis nobis profuit sua virtute, quam scientia », hoc est commune omnium discipulorum iudicium.

Eadem mirabili diligentia P. Joos reliqua omnia officia sibi commissa exsequabatur. Ut ecclesiae praefectus etiam sepulcretum nostrum in caemeterio S. Leonardi curandum acceperat, et quoties pomeridianum tempus ibi strenue laborando transegit! Quotquot ad desideratissimi Patris humentationem convenerant, aspectu sepulcreti nostri delectabantur: omnia ibi munda, cuncta sepulera floribus ornata; id tamen ipsi defuncto confratri debebatur, qui paucis diebus ante propriis manibus ibi laboraverat solita sua diligentia.

P. Joos crucis mortificationem iugiter in suo corpore, pro divini nominis honore, portavit (id quod Ecclesia de S. Luca praedicat). Licet valetudine semper infirma, vivebat tamen more magnorum paenitentium. Hieme manus gelu torridas habens, nihilominus ignem in cella habere nolebat. Nunquam in deambulationibus, etiam longissimis illis feriarum tempore in montes Helveticos factis, sitim aqua exstinguebat, neque tale levamen sibi concedebat e caemeterio, ubi diu laboraverat, domum rediens. Cum pedes eius inaequalis essent magnitudinis, calcei vero aequalis, inde etiam multum in excursionibus iuvenistarum tormentabatur. Sabbato ad cenam nihil prorsus bibebat. Ad mensam assidens oculorum modestia cunctis summae erat aedificationi. In schola nunquam sedebat. Lectionem spiritualem semper genuflexus faciebat. Usus catenularum ei valde familiaris. Feria IV, VI et sabbato ante meridiem ei obviam factus, sentiebas odorem absinthii, quod toto isto tempore masticabat. Extra ordinem per raro sumpsit refectiunculam, et semper ex sola oboedientia. Adeo hic confrater sibi persuasum habuit sacerdotem non solam Hostiam eucharisticam, sed etiam se ipsum hostiam vivam Deo offerre debere.

Verum Reverendi P. Isselé librum totum hic transcribere nolumus. Ibi igitur alia multa exempla legi possunt. Superior quidam dixit: « Loquuntur de virtute nostra, quæ non existit; at virtus R. Patris Joos, hæc est vera et authentica virtus ». Eius vita vitæ S. Teresiae a Iesu Infante simillima apparet. Quapropter bonam spem habemus servum Dei non modo in caelis regnare, verum etiam apud Iesum et Mariam haud parva potestate pollere.